

vitae appetat, nulla adversa pertimescat: blandimenta mundi respecto intimo terrore despiciat, terrores autem considerato internae dulcedinis blandimento contemnat. Unde supernae quoque vocis imperio in utroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur: ut contra adversa ac prospera, virtutum semper ornamento muniatur: quatenus juxta vocem Pauli, per arma justitiae a dextris sinistrisque gradens, cum ad sola quae interiora sunt nititur, in nullo delectationis infimae latere flectatur. Non hunc prospera elevent, non adversa perturbent, non blanda usque ad voluptatem demulceant, non aspera ad desperationem premant: ut dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur ostendat. Quod recte etiam superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, et torta fieri bysso praecipitur; ut quanta sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat, demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiae principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui aëreo colore resplendet, adjungitur; ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem coelestium surgat: ne dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque et hyacintho purpura permiscetur; ut videlicet sacerdotale cor, cum summa quae praedicat, sperat, in semetipso etiam suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex regia potestate contradicat: quatenus nobilitatem semper intimae regenerationis aspiciat, et coelestis regni sibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate spiritus per Petrum dicitur: vos autem genus electum, regale sacerdotium. De hac etiam potestate, qua vitia subigimus, Johannis voce roboramur, qui ait: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hanc dignitatem fortitudinis Psalmista considerat, dicens: mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eo-